



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Demonstrationes
Chronologico-Historico-Juridico-Canonicæ**

Callenberg, Caspar

Coloniae, 1734

Demonstratio Secunda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63192)

tamque graves Autores (cum etiam *in Ore duorum, aut trium Testium, ster omne verbum, Oraculo Divino*) vera de rebus suorum temporum (maximè cum illis nemo contradicat) scripsisse, & posteritati tradidisse, adeoque jamrum seculo 13tio, dum ista scriberentur, Canonissas reapse posthabitâ *communitate ad singularem vitam* transiisse; & vulgò (cum primis in præcipuis Ecclesiis) cum Canonicis concurrissè?

Quæ si mihi, ut à nemine prudente negari possunt, tandem concedantur;

Ite triumphales circum mea tempora Lauri!

Vicimus; (a)

Nam his concessis, necessariâ consequentiâ sequitur: ergo Bonifacius VIII. in *C. Indemnitatibus. §. supradicta de Elect. in 6.* comprehendit hujusmodi Canonissas Seculares, scilicet *singulatim* extra communitatem viventes, & cum Canonicis Capitulum constituentes. Ut nemo, qui vim syllogisticam callet, inficias iverit. Et hoc est, quod erat *demonstrandum* hâc primâ Morali Demonstratione; quæ certè cuivis, nullis partibus infecto, non infimum Moralis evidentiæ gradum attingissè videbitur. Sed cum, quæ clara sunt, luculentiora fieri possint, ad illustrandam præsentem Materiam, ultrâ eamus.

CAPUT II.

Secundam propinat Demonstrationem.

DEMONSTRATIO SECUNDA.

Capitulum *Indemnitatibus. §. penult. de Elect. in 6.* conditum est pro Canonissis NB. *Secularibus*. patet ex *Summario in C. Indemnitatibus §. penult.* ibi: *Hæc constitutio locum habet in Monialibus regulariter viventibus, & in Canonicis Regularibus, hoc excepto quod non debeant, nisi Professe eligere vel eligi, quod non potest sibi vindicare locum in Canonicis Secularibus.* Per hoc tamen Papa non approbat Statum dictarum **CANONICARUM SECULARIUM**. En tam in paucis lineolis nomen *Canonicarum Secularium* bis expressum; ut nullus dubites de veritate nostræ Majoris, maximè si porrò resciveris, quod eandem ambabus, quod ajunt, manibus amplectantur Doctores universi, contradicente nemine.

Sed *Canonica*, non ante dictæ sunt *Seculares*, quàm à vita *communi* ad *privatam*, *Secularibusque* simillimam descenderint: nec aliis *Canonicabus* nomen *Secularium* adhæsit, quàm illis, quæ vitam *singularem* sunt amplexæ. Ut

Num. 12.
c. Indemnitatibus
scriptum est
Canonissis
Secularibus.

C 3

iterum

(a) Ovidius L. 1. Eleg. 12.

iterum iis, qui vel primis labris Historiam Ecclesiasticam, & profanam delibârunt, & veteres recentésque Canonistas, vel lævo oculo inspexerunt, evidens est, & manifestum. *Sicut Canonici* ait diligentissimus Antiquitatum Eruderator Vanespen. J. E. V. part. 1. tit. 33. c. 2. n. 14. *Post dimissam vitam communem, & arreptam singularem dicti fuere Seculares, ad distinctionem eorum, qui vivunt sub certa Regulâ in communi; ita Canonica NB. post transitum dici cœperunt Canonica Seculares.* Quo quid clariùs? Volve, evolve, revolve concilia, Patres, Historicos, Canonistas, Juristas, certè nullibi offendes vel unicam, quæ *Canonica Sacularis* appellata sit, ante transitum illum, quo à vita communi est recessum. Et hinc nullus Autorum huic Minori obstreperit; sed eam omnes cœu Veritatis ipsiusmet oraculum, adorant. Unde iteratò evidente necessariâque consecutione, prono torrente fluit, quòd Capitulum *Indemnitibus. §. pen.* scriptum sit non aliis Canonissis, quam quæ vitæ communi tergum obverterunt, *Singularem* complexæ. Et hoc est secundò, quòd erat demonstrandum, quare triumphanti Veritati

Dicite io paan! & io, bis dicite paan! (a)

Aliquam multo autem tempore, jam ante Libri 6ti editionem, **CANONICARUM SECULARIUM** nomen invaluit; nam illo jam usus perverus Glossator Bernardus Compostellanus (qui floruit Anno 1250. teste *Lycosthene L. c. V. Bernardus Compostellanus*) in *c. Dilecta de Majorit. & Obed. V. Canonicas*, ibi: *Canonicas: non dicit Monachas: loquitur enim secundum consuetudinem Teutonicorum; ubi sunt CANONICÆ SECULARES &c.* & ante hunc Glossatorem nomen **CANONISSARUM** tanquam pervulgatum Anno 1220. jam tum usurpavit Cardinalis Jacobus de Vitriaco ut supra num. 3. vidimus. ibi: *Sunt Mulieres, quas Canonicas Seculares, seu Domicellas appellant.* An non novo hinc argumento extunditur, Canonissas perdudum ante *c. Indemnitibus*, ut nomen *Secularium indeptas*, ita communitate exutas, & ad privatam vitam esse digressas?

Num. 23. *Diu ante Caput Indemnitibus, Canonicarum Secularium, nomen increbuit.*

C A P U T III.

Demonstrationem tertiam representat.

DEMONSTRATIO TERTIA.

Capitulum *Indemnitibus. §. pen.* agit de illis Mulieribus, seu Canonicabus, quæ tempore editi Libri 6. sub annum 1300. vivebant, ut *Canonici Saculares*, quòd controversi non potest, cum id clarè exprimat in ipso textu

(a) *Ovidius.*